

*voluntatis suae relinquere potuit, quam, quod ipse magna cum cura atque diligentia scripsit? Quod si literae non extarent, magnopere eas requireremus, ut ex his scriptoris voluntas cognosceretur; nec tamen Epaminondae permitteremus, ne si extra iudicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, nedum nunc istum patiamur, quum praesto lex sit, non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suae causae convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quodsi vos, iudices, legibus obtemperare debetis, et id facere non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequamini, quid causae est, quin istum contra legem fecisse iudicetis? Assumptionis autem approbatione praeterita, quadripartita sic fiet argumentatio: Qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, praeter nosmet ipsos, quem jure accusare possimus. Ac primo quidem decipi incommodum est; iterum, stultum; tertio, turpe. Carthaginenses autem persaepe jam nos fefellerunt. Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis.*

Utraque opprobatione praeterita tripartita fit, hoc pacto: *Aut metuamus Carthaginenses oportet, si incolumes eos relinquerimus; aut eorum urbem diruamus. Ac metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.*

Variare autem orationem magnopere oportebit. Nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit, hoc est, tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipsa ratiocinatione non semper a propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti, neque eadem ratione partes expolire: sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum ab utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti. (Id ut perspiciatur,